



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

11. Qua[n]ta sit cura proli impe[n]denda?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

nendæ sunt mulierculæ alioqui ad superstitionem pronæ, ne putent se, ea in re, seruare legem veterem, more Iudaico, sed vt id solùm faciant, ob reuerentiam loci sacri, & causa religionis. Facillimum est hic errare, & à medio deflectere. Dei Mater legem Moysi potuit, non debuit seruare; seruauit tamen, vt omnem iustitiam adimpleret, sicut Filius illius. Aliæ feminae, non possunt, non debent legem seruare abrogatam; si tamen, in reuerentia templo exhibenda, Dei Matrem volunt imitari, id facere non prohibentur; quia Christi Matrem, in hac re, imitari, non est Iudaicum, sed Christianum. Vt tamen etiam animæ earum purificentur, longè res Deo gratior, istisquæ utilior est, vt prolem sistant Domino, & se sacerdoti, illique impatientias suas, atque alia delicta puerperij confiteantur. Corporum purificatio cæremonia est; religio purificatio animarum.

## XI.

Fab. Quintilian. in lib. seu dialogo de oratoribus.

Quæ cum lacte infantibus est instillanda: & vel veteres Romani imitandi, quorum seueritatem & disciplinam, in educandis formandisque liberis, Quintilianus (nec enim Tacitus illius libri author est) his verbis laudat, *Iam primum, inquit, suum cuique filius ex casta parente natus, non in cellaempta nutriti, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat, tueri domum, & inservire liberis, Eligebatur autem aliqua natu maior propinqua, cuius probatis, spectatisque moribus, omnis cuiuspiam familie soboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam, lususque, puerorum sanctitate quadam, ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cesaris, sic Attiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accipimus. Quæ disciplina & seueritas eo pertinebat, vt sincera & integra, & nullis prauitatibus detorta, vnus cuiusque natura toto statim pectore arripere artes honestas, & siue ad rem militarem, siue ad iuris scientiam, siue ad eloquentia studium inclinasset, id solùm ageret, id vniuersum hauriret. At nunc natus infans delegatur Gracula alicui ancilla, cui adiungitur vnus aut alter ex omnibus seruis plerumque, vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis & erroribus teneri statim & rudes animi erudiuntur. Nec quisquam in tota domo*

domo pensi habet, quid coram infante Domino aut dicat, aut faciat, quando etiam ipsi parentes nec probitati, neq. modestiā parvulos assuefaciunt, sed lascivia & libertati, per qua paulatim impudentia irrepit, & sui alieniq. contemptus. Iam vero propria & peculiaria huius urbis vitia pene in utero Matris concipi mihi videntur.

## CAPVT XL.

Quanta parentibus, sæpè in matrimonio à liberis, & quas ob causas, cruces enascantur?

**E**st sanè ita, vt Christus dixit, tristitia mulieris parientis leuatur, cum peperit puerum, & jam non meminit pressura, propter gaudium, quia natus est homo in mundum: nec minus tam pater gaudet, quam mater. Sed & hoc gaudium sæpè turbatur suspitione, coniectura, euentu inexpectato, morte immatura pueri parentibus erepti, aut sanè ita moribus deformati, vt eum parentes optarent, in primo balneo fuisse suffocatum; adeò sæpè est, in partu, lætitia præcoqua nimium intempestiueque gliscens. Nam etsi mater de prole certa est, dolet tamen si videt virum dubitare. Probè hæc aduertit D. Basilus, cuius hæc sunt. *Quæ mortali connubio coniuncta est, ad suam ipsius curam viri quoque altera adiecta geminam, in una anima, ex coniuncto sibi corpore, sollicitudinem necessario sustinet. Ubi vero filios, post cubiculi solennia & secreta commercia parturire atque in lucem edere cœperit, per unum quemque nascentem animo scinditur, & presentibus tristibus nascituri cura semper adicitur. Et paulò post: Ubi filios edidit, aut ad bonam frugem illi euaserunt, & maiores, illorum absentia, inuicem dolores tolerat, quam parturiens tulerat (quod in absentia filij senioris Tobie vxor quælibet assiduis testata est) aut malos enasisse confiderat, & maius ex ea procuratione liberorum, quam si permanisset sterilis, opprobrium sustinet. Verissima hæc sunt. Apud patrem autem etiam plura. Quoties enim proles incerta est, ob cuculos? quoties saltem suspicio est, quæ cruciat, aut coniectura? Noui bellici nominis virū, qui non meuehat hostem, sed vxorem: nam quia senior ipse nunquam fidebat coniugi iuniori,*

I.  
Ioan. 16, 17.

S. Basil. de  
vera Virgin.